

EXAMEN VARIARUM LECTIONUM,  
QUAS AD TEXTUM JESAIÆ HEBRÆUM  
ALEXANDRINA VERSIO EXHIBET,

---

Cujus

PARTEM DECIMAM

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

*Modeste sistunt*

JACOBUS BONSDORFF,

S. S. Theol. Licentiat. & Adjunct. Ordin.

Et

HENRICUS BOGISLAUS JURVELIN.

*Wiburgensis.*

In Auditorio Majori die XII Junii MDCCCV.

H. p. m. s.

---

ABOË,

Typis FRENCKELLIANIS.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
DEPARTMENT OF CHEMISTRY  
58 CHEMISTRY BUILDING  
CHICAGO, ILLINOIS 60637  
U.S.A.  
TEL: 773/936-3700  
FAX: 773/936-3700  
WWW: WWW.CHEM.UCHICAGO.EDU



de causa expungant. Atque in confesso quidem est, lectionis hanc varietatem apud Antiquos translatores diverso modo fuisse expressam; longe tamen antiquiorem eandem in textu masorethico jamjam existisse, & sine dubio ex ipsius Prophetæ prima velut manu profluxisse, multæ rationes comprobant. Non enim improbable prorsus est, Prophetam Jesaiam, utpote sui ævi Historiographum, non modo litteris mandasse pleniorum suorum temporum historiam, sive Annales, (ut de Utiæ imperio expresse dicitur II. Chron XXVI: 22. & II. Reg. XX, 20. provocatur ad uberosiores Commentarios Regum Juda,) verum etiam in compendium retulisse, atque in scriptis suis Prophetice de novo edidisse hanc historiam de Senacheribo, ut ipsa vaticinia prophetica lucem inde fortiri possent. Propinavit quidem Ill. Eichhorn conjecturam longe aliam ad conciliandas discrepantias, in Jesaiæ & Regum libris obvias, ponendo scilicet, totam hanc pericopam historicam feriori & quidem exilii Babylonici tempore conflata esse ex libris Regum, quos ipsos etiam judicat ex majoribus Regum Commentariis tum demum contractos fuisse; unde sequeretur, textum in libris Regum esse authenticum quamquam compilatum ex vetustioribus Annalibus, Jesaiæ vero textum, denuo ex hoc refictum, recentioris collectoris edere specimina. Verum enimvero, postquam rite monuerint HEZEL, SCHERER, PAULUS & Anonym. (in *Exeget. handbuch d. A. T.* 6 st.) gravissimas esse causas, cur hanc partem Hiskianæ historiæ, in collectione carminum Jesaiæ a Propheta ipso de novo recensitam teneamus, nos quoque Regum & Chronicorum libros compendia majoris esse operis, cito post prophetæ ætatem, saltem ante captivitatem Babylonicam confecta, haud immerito postulamus. Atque potuit omnino fieri, ut qui breviorum in formam Annales redigeret, quibusdam in locis aliquantum erraret tex-

tus primitivi immutando verba, aut si fideliter fatis & exacte eundem expresferit, potuit diversitas quædam jam in antiqua illa & duplici quidem recensione exstare; siquidem nemo in scriptore quodam, bis scripta sua evulgante aut edente, anxiam adeo requirat verborum omnium convenientiam, ut non multa possit immutare atque aliter pronuntiare, quam antea protulerit; quo pacto superflua erit omnis crisis, præter eam, quam ratio ipsa exigit. Ponimus ergo, Jesaïam ex longioribus suis annalibus, in quibus sui ævi historiam, suorumque Regum res gestas memorabiles ex prophetarum omnium conscripserat more, pro lubitu in carminum suorum corpus intulisse quædam fragmenta, Hiskix mirabilia fata potissimum concernentia, immo quoque illustrantia; neque refragabimur aliis, si Regum libros quoque in compendio denuo ab ipso propheta editos contendant. Utcunque enim hoc judicetur, quod in tam vetustis monumentis longe difficillimum esse, nemo non agnoscat, veri omnino simillimum est, binam fuisse recensionem particulæ hujus historicæ. Quod autem ad diversitates Græci interpretis ut quoque ceterorum, attinet, primum est ad fidem, eosdem omnes textum Jesaïanum cum parallelo Regum loco contulisse & refinxisse, non autem restituisse; quare Masorethica veritas tanto potiori jure defendi poterit, quo sit certius, eandem corrigendi viam hebraicis librariis fuisse apertam, nisi scriptio ipsius antiquitas eosdem ab omni avocasset permutandi studio. Utraque ergo lectio, & Jesaïanæ pericopæ & Regum libri, vera, immo prophetæ authentica considerari debet; Sensus vero ipsius diversitas, quæ inde oriatur forte, scriptoris ingenio vario & libertati adscribatur oportet.

Præter allatas antea in parallelis hisce locis varietates hebraici & græci textus, dijudicari merentur Cap. XXXVII, v. 9 ubi  $\text{שׁוֹשׁוֹן}$  bis legitur; contra vero in paral-

rallelo Regum XIX. 9 cum  $\text{רשׁוּׁי}$  permutatur, quod Alexandrinus bene expressit: *Και αυτασ αποσχεψε*; Postquam enim Assyrius rex audiverat, Aethiopiae regem, Tithakam, armatum contra se educere exercitum, de novo misit legatos ad regem Hiskiam, ut ad deditionem urbis eum sollicitarent. Negari quidem nequit, longe commodiorem hanc esse lectionem, atque textui Jesaiano anteponendam, quae sine exemplo similis repetitionis & contra prophetae morem dicendi in tautologiam abit miram; neque non facilem fuisse errorem, ex litteris inter se permixtis ortum, dabunt omnes. Quod idem monendum censemus ad vers. 27. qui, ubi cum II Reg. XIX. 26 comparatur, manifestum prodit sphalmatis indicium, in vocabulo  $\text{שרפה}$  pro  $\text{שרפה}$  conspicui. Tenacius quidem nonnulli textus masorethici scripturam vindicant, Syri interpretis testimonio, suffulti, sed sine opportuno sensu, & dubia satis auctoritate. Frustraneo quoque labore, quamquam ingeniosius ad Arabismum confugiens Celeb. PAULUS, in Clavi, (quocumconsentit *Exegeseb handbuch*) notionem *exusti* agri exculperare studet ex significato Arabico: *tristitia, ira, astro percitum* esse, qui quidem ad Hebraicum  $\text{רשׁוּׁי}$  vix applicari potest; quare omnino consultius esse putamus cum plerisque, & Recentioribus & Antiquioribus interpretibus, Vulg. Chald. (Alexandr. vero habet *ως αργωσις*) lectionem  $\text{שרפה}$  præferre hoc quidem sensu: *sicut verba adusta, vel (ut DATH.) seges tacta uredine, antequam in culmum excreverit*; Est enim morbus segetis, quem uredinem appellant, fatalis adeo, ut postquam frigido aere correpta fuerit seges, nullas protrudere spicas valeant culmi, nec maturescere. Simili jam fato incolas regionum multarum, per Assyrium hostem, Divina tamen permittente providentiâ devastatos exhaustosque fuisse describit Propheta, Dei ipsius nomine contestatus,

Caput. XXXVIII.

Vers. 6. Proxime huic versiculo jungendos esse vers. 21. & 22. qui male transpositi & ex loco suo moti sunt, (quæcunque demum teneatur hujus erroris causa), probat non modo contextus & rerum ordo naturalis, verum etiam harmonia paralleli loci, II Reg. XX. 4. 5; Antiquissimam vero & versionibus priorem fuisse hanc transpositionem, inde patet, quod servili satis ingenio veteres omnes hunc præposterum tenuerint ordinem, nec pro more suo ex parallelo loco correxerint;

Vers. 3. Conf. II Reg. XX. 9 - 12. ubi diversa plane a nostro loco, sed non ideo contraria, periphrasi exposuit Jesaias mirabilem umbræ retractionem, cujus phœnomeni explicare causas nec hujus loci est, nec nostrarum virium: In ipsâ descriptionis varietate, & vatis conspicitur libertas, quam antea vindicavimus, & textus hodierni sinceritas, quam in dubium vocare tanto minus licebit ex Græci interpretis auctoritate, quo apertius sit, hujus interpretamentum esse arbitrarium & repetitione verborum minus necessaria deturpatum. Hæc enim sunt eius verba: *εγω εβραψω την σκιαν των αναβαθμων ες κατεβη τες δεκα αναβαθμεις τε οικε τε πατρος σε ο ηλιος, αποσβραψω τον ηλιον τες δεκα αναβαθμεις, και ανεβη ο ηλιος τες δεκα αναβαθμεις, ες κατεβη η σκια;* Ceterum, quis umbram, in sole retrogrado (ΩΨΩΨ), sive solis per decem gradus scalæ palatii Achasi retrogradi, non ad opticam potius apparentiam quam veram quandam solis regressionem referat, universum naturæ ordinem turbatum comminiscens. Potuit enim umbræ recessio orta esse a sola reflexione radiorum, aut quocunque alio modo suboriri, quod in transcurso hic monuisse sufficit.

Vers.



Vers. 10. Ambigi potest, utrum Græcus verba hebraea ברום an ברומי cogitaverit, in vertendo: εν τω ὑψηλων ἡμερων με. Sensus autem haud multum discrepat a versione vulgat. Interpretis: *in meridie dierum meorum*; sol enim meridianus in summo cœli conspicitur culmine.

Vers. 13. Alexandrinus transtulit verba: שורתי ער בקר εν τη ἡμέρα ενσην παρεδοθην εως πρωι, unde nemo augurari certo valet, qualem ante se habuerit textum, aut quid intenderit. Ceteri interpretes æque fluctuant in sensu & lectione, jam radicem קרה, *expectare*, jam שוע *vociferari*, cogitantes, jam iterum significatum verbi שנה ex Chaldaismo, *tremere*, sive ex Arabico (يـمـ) *mori*, repetentes. Omnes vero hasce hypotheses mislas facere possumus, & simplici verborum formæ ac notioni inhærerere, hunc in modum: *constitui mecum, cogitabam usque ad matutinum tempus* (scilicet me tantum vixurum;) Est enim hæc loquendi ratio admodum Elliptica, & in sensu suppleri debet. Nihil aliud Hiskias se animo voluisse dicit, quam cito sibi moriendum esse, diesque suæ vitæ ad crastinum tempus non fore prorogandos.

Vers. 14. Sensus est: Adeo timidus fui, quando oculos meos in cœlum converterem, Deumque supremum cogitarem, ut quasi attenuarentur & deprimerentur oculi; Temerarium ergo esset, pro רלו substituere velלו כלו ut ROB. LOWTH, ex Alexandr. εξελιπον, prætulit, quum tamen utrumque verbum ejusdem sit sensus: *attenuari*. Quod si cum SCHEIDIO, celebri hujus loci Interprete, radicem רלה *fitula aquam ex puteo haurire* habeamus, haud absurde imaginem plorantium & lacrimantium oculorum, a fitularum metaphora translatam putabimus. Sed non est quod radicem רלל deseramus. Rite HENS-

LER & SCHERER (in Bibel Commentar) hunc in modum circumfcribit: *ſchwachend blickten meine augen empor.*

Vers 16. Haud multum lucis, aut opis ex græco fonte nobis venit, ad obſcurum hunc enodandum verſiculum: verba enim: *περι αὐτης ανεγγελη σοι*, redolere videntur hebræum יהוי (ſuppreſſo nomine רבריו) aut quoddam ſimile pro textuali יהוי *vivitur*; atque mirum eſt, Reverend. LOWTH in partes Alexandrini adeo vagas, & nullas fere ob cauſas tranſiſſe, ut ex verſione Theotitica juſtificari poſſet: *Jehova, drum wird mans rubmen von dir*, quum tamen abſque critica hac conjectura ſenſus elici queat ad analogiam hebræi ſermonis & affectum Hiſkias maxime accommodatus, ſi modo teneatur, verbum יהוי *vivunt* impoſonaliter ſumendum eſſe: *vivitur*. Mente enim revolvens gratiſſima rex Hiſkias, quantas promiſſiones, quotque beneficia a Deo Optimo Maximo acceperit, non potuit non animo refici, exhilarari & ſpiritus novos ſumere, ſummam vero Dei venerari Majeſtatem atque vitæ ſuæ, quemadmodum omnium mortalium, huic immortalis Auctori referre acceptam reſtitutionem. Nihil eſt quod impedit, quo minus hæc Divina promiſſa ſpectari commode poſſint ſub affixis עליהם & בהן, quæ, utpote diverſo genere prolata, ex Hebræorum more frequentiſſimo, magnitudinem & univerſalitatem rei innuunt; nec obſtat, quod non expreſſe memoretur in præcedentibus, quænam hæc promiſſa fuerint. "Poëtis enim impetu ingenii urgente ſolemne eſt atque elegans, proſaici ſermonis jugum excutere & dixiſſe videri quæ non dixerant" ut ſubtiliter & acute SCHEID. & DOEDERL. in notis ad h. l. Itaque eleganter referas ſuffixa ad אחר & עשה verſ. 15 obvia. "Primo generatim mortalium vitam inter primaria Dei beneficia recenſet:  
*bis*



*his ipsis promissionibus & beneficiis vivitur, dein vitam quoque suam Deo acceptam refert: usdem omnino & ego vitam debeo, spirat animus meus. Quam interpretationem propterea hoc loco renovare studuimus, ut obviam iretur Recentiorum fere omnium conjecturæ, quam J. D. Michaëlis primum protulit חן ליע sejungenda esse & ad cives sive subditos regis Hiskiaë, quorum causa vitam omnem suam transigere sibi videbatur, referenda, hoc fere sensu: super me isti h. e. cives mei vivunt; durch mich leben jene, (die unterthanen des Königs) HENSLEER, PAULUS. Verum enimvero hoc in gratiarum actione, Summo numini persolvenda, non satis decorum & conveniens existimetur oportet, ut potius vividissima Divinorum promissorum memoria piissimi regis obverbatur menti.*

Vers. 17. Prægnanti significato obvenit vocabulum רשע, summo studio, amoris affectu aliquem liberare, eripere e periculis; quare concidit conjectura Houbiganti & LOWTH, radicem, רשע cobibere substituens, ac falso ad Alexandr. ειλε, & Vulg. provocans,

### Caput. XXXIX.

Vers. 1. Additamentum Græci Interpretis: Καὶ προσβεις proxime post επισολας, quas misit Rex Babylonius ad Hiskiam, tanti æstimavit Rever. LOWTH, ut ex hoc fonte integrum vocabulum חן ליע textui restituendum svaderet, tacentibus tamen ceteris omnibus antiquis & parall. lo ipso Regum loco. Mira omnino & otiosa crisis! quis enim epistolas & dona sine legatis mitti potuisse cogitabit, aut eosdem non ipse subintelliget, quamquam textus ipse legatorum non faciat mentionem, siquidem

quidem concisior stilius eo carere poterit. Atque cum in sequentibus perhibeatur Rex thesauros suos immensos, his qui aderant ostendisse, nemo hæsitabit, legatos eo ipso indigari, qui litteras ceteraque secum tulerant; & quidem hæc ipsa causa videtur Græcum permovisse, ut addito vocabulo *legatorum* faciliorem explicandi aperiret viam.

### *Caput. XL.*

Vers. 5. Ut in confesso est Interpretibus tantum non omnibus, Messiana tempora a prophetis, nominatim Jesaiâ, ut plurimum arctissimo nexu cum liberatione gentis Iudaicæ ex captivitate Babylonica, celebrari, hæcve festiva tempora jam inde ab hoc Capite Jesaiano ad finem usque libri indicari; in specialiori tamen interpretatione horum carminum imaginumque hæsitare solent plerique boni nominis viri. Neque mirum, si ex ipsa hac ambiguitate stili solennioris, quem non rite assequi possunt omnes, interdum Criticis materies data fuerit vires suas exercendi, textumque ad sua placita corrigendi. Dandum quidem est, textum ipsum hebræum non sine omni macula & permutatione ad nostra usque tempora descriptum servari; sed ita vitiosum & correctionis Criticæ indigum esse, ut multis arridet opinio, confidentius negatur. Equis est, qui fontem inspiciens hebræum hujus versiculi, sublimen non sentit ideam spectaculi, quod vividissimis imaginibus sistit propheta, ideam scilicet apparitionis Divinæ longe celsissimæ, qua illustrati mortales, Divinam ipsam majestatem intuebuntur, celebrabunt, hilarique adorabunt voce? Jehova enim gloriosus, in hominum conspectum, quo fieri possit modo, veniens, ipse ille sæpius antea Jesaiâ in carminibus, inprimis IX: no Cap. celebratus est Messias, qui Divina clarus majestate, populi

puli sui omniumque gentium promovebit jura atque salutem. Eum omnes mortales videbunt, atque adeo Dei ipsius contemplantur majestatem, quam Moses, Judaici populi legislator & internuntius ne per umbram quidem adspicere potuit, aut dignus judicaretur, qui adspiceret. Verbum יראו *videbunt*, manifesto respicit præcedens כבוד יהוה, ut Syrus Interpres jam vidit; quum vero, aliis in locis, Propheta aliis usus fuerit locutionibus e. c. Cap. LII. יראו את ישועת אלהינו. 10. solus Alexandrinus ex ingenio suo addidit nostro loco: το σωτηριον τα θεα, quod interpretamentum quoque Lucas Evang. III. v. 6. alexandrina quippe usus versione, intulit in textum; unde tamen minime sequi putamus, quod Rev. Lowth asserit, textum nempe hebræum Jesaiæ esse mendosum, atque ex Græco restituendum; Nec Lucæ auctoritas in hoc negotio critico multum adjuvabit aut sollicitabit, quum testatissimum sit, Apostolos, plerumque ex memoria, & quidem ex versione tum temporis familiari, græca, veteris Testamenti allegasse loca. Immo Lucas ipse, alia omisit, e. c. integram sententiam: ὁφθαλμοὶ ἢ δεξιά κούρα, quod nemo ei vitio vertat, nisi absurde simul ponat, Apostolos fuisse Criticæ artis peritissimos & verfatissimos.

Vers. 6. Ex idiotismo aliarum linguarum nomen hebraicum הטר *gratia, præstantia*, commode transferri posset ad *venustatem, decus*, adeoque idem fere denotare, quod Alexandrinus vocabulo: δεξα expresit, & in Latina lingua usitatisimum est. Quo sensu etiam multi hunc locum explicuere, quasi consilium Prophetæ fuerit, humanæ vitæ fragilitatem, fluxamque decoris, gloriæ & cujuscunque alius præstantiæ indolem adumbrare & in oppositione cum Divinis summis perfectionibus utpote longè



ge infimam describere; verum enimvero, licet probabilius multo sit, Græcum atque Latinum transtulisse vocabulum חסר ad gloriam designandam, quam aliter legisse, ut frustra nonnulli conjiciunt, textum priore in הוירר mutare svadentes, jure tamen animadvertimus, tum syntaxin hebraicam huic contrariari conatui, quia constanter *amoris* sive *benignitatis* ideam servat nomen חסר cum suis derivatis, tum etiam seriem orationis universam non pati, ut ad alium quendam sensum trahatur comparationis tertium, quam fluxam hominum gratiam, summamque inconstantiam mortalium, sive beneficia sua favoremque suum promittant sive collocent. Deus vero in omnibus suis promissis & beneficiis longe constantissimus, immutabilis, idemque semper deprehenditur esse. Ad litteram itaque reddenda sunt verba textus, prout SCHERER, HENSLER, plerique: *alle gunst der menschen* - interpretati sunt; nec scrupulos cuiquam movebit novissima hypothesis PAULI in Clav. *gratiam* passivo sensu sumentis: *alle ihm (dem volke) erwiesene gnade*, quod contextui satis inimicum est, & repugnat asserioni Prophetæ, Deum immensis beneficiis semper ornasse populum suum; adeoque Dei favor minime comparari potuit cum herbis marcescentibus.

Vers. 7. Minime assentiri possumus Celeb. KOPPE, qui Alexandrini secutus auctoritatem, integram sententiam in fine versus: מן חצור העם utpote glosam ferriorem expunctam cupit. Si enim conferatur Cap. V. v. 7. & recogitetur Prophetæ mos, in allegoricis suis carminibus sapius addendi explicationem, ut sonantior ac efficacior prodeat allegoria, neque a nostro loco alienum erit idem tenere. Graphice pingit Jesaias populi sui inconstantiam: *profecto populus omnis est quasi gramen.*  
Vers.

Vers. 14. Quia in nonnullis exemplaribus versionis græcæ, post hunc versiculum extet additamentum hoc: *η τις προσδωκεν αυτω, και αυταποδοθησεται αυτω*, quod totidem verbis ab Apostolo Paulo Rom XI: 35, citatum invenitur, critica oritur quæstio, utrum in Codice Alexandrinæ versionis, quo utebatur Paulus, hæc verba jam tum adfuerint, an postea e Paulo in græca exemplaria promanaverint. Prius tamen longe probabilius est, siquidem græca versio multis scatebat interpretamentis seriori manu illatis, qua de re Origenes dudum multa questus erat. Inde tamen non efficitur, quidquam in hebraicum esse inferendum textum, qui salvus omnino manebit.

### *Caput XLI.*

Vers. 1. Infelici satis conjectura textum restituendum docent Rob. LOWTH & STRUENSE ex græco fonte, qui tamen ipse manifesta indicia servat erroris, eo quod verba *אלי החרישו* commutavit cum *החרישו* *εγκανιζεθε προς με υησολ*. Errandi copiam sibi fecit ex proxime sequenti locutione: *כוח יחליפו* *instaurate vires*, sed vix animadvertibat, quam singularis & dura oriretur sententia: *renovare se ad aliquem*, cui nullum similis idiotismi exemplum dari potest; nam quod hujus conjecturæ probandæ causa affertur ex Zeph. III: 17. in Græco itidem fonte: *renovari in amore suo*; longe alius est generis & constructionis. Vindicato autem sic textu hebraeo, superest ut significatum *חַרְשׁוּ* propius examinemus & ad præsentem locum applicemus. Vulgatissimam notionem *silentii* multi quidem judicarunt parum congruere cum sequenti locutione: *renovate robur, adpropinquamini*; quare *machinandi, fabricandi* ideam utpote commodiorem adoptarunt, maxime quia propheta sæpius antea appellaverit



rit idolorum fabricatores יִשְׂרָאֵל Cap. XL. v. 19, nec in-  
 iuetum sit Latinis & Græcis, τέκτονες κακῶν, fabricatores  
 mali appellare. Sensus, quem inter alios nuperrime quo-  
 que Auctor *Exeget. Handb.* ad h. l. exprimit, hic fere es-  
 set: *machinamini vos, regiones, coram me, & fruite con-*  
*silia vestra callida, quæstiunculas vestras proponite, & ar-*  
*tificiose agite, quo idola vestra defendatis.* Haud tamen  
 dissimulandum est, totam hanc interpretandi rationem  
 non bene consentire pulcerrimæ gradationi rerum af-  
 fectuumque, quam Poeta sibi finxerat animo atque in-  
 signi cum permutatione personarum (mechanismo Enal-  
 lages) exsequitur. Primo enim idololatrias alloquitur  
 Jehova gentes hisce: *filete, stupete coram me;* mox gentes  
 describit in tertia persona: *en vero, robur addant populi,*  
*appropinquent, proloquantur;* dein in prima pers. plur. hor-  
 tatur: *veniamus in iudicium;* Applicatio vero subticetur,  
 sed ex universo contextu antecedentium constituatur o-  
 portet. Idololatræ enim cum idolis suis arte fabricatis  
 stultisque in comparatione ac contentione cum Immor-  
 tali Deo nihil unquam valebunt, quin pudebunt; siqui-  
 dem hic est rerum omnium atque civitatum, gentium  
 ac populorum stator, hic est regionum everfor, provi-  
 dum vero suorum tutamen. Stupebunt coram illo, quot-  
 quot fictitios coluerint deos; animadvertent quondam  
 Dei Supremi sapientiam & omnipotentiam omnia diri-  
 gere, omnia per prophetas suos præscribere, nutuque e-  
 jus omnia fieri; Hic est, qui ex Oriente heroem exci-  
 tabit, virtute clarum, ad idololatriam, id vero est Baby-  
 lonici imperii totalem parandam ruinam. Præterea ex  
 ipso idiotismo hebraico observamus, verbum יִשְׂרָאֵל in  
 Hiphilica forma nunquam *machinandi* sed *silendi* tenere  
 notionem.

Vers. 2. Frustra Alexandrinum provocavit Λοῦθη  
 utpote.

utpote testem lectionis קרצ, quam Chald. & Vulg. solummodo & quidem ex conjectura praeferunt textuali קרצ. Verba ejus sunt: *tis εξηγειεν δικαιοσύνην*; quæ vero sequuntur: *εκαλεσεν αυτον* spectant, hebræum וקראתו, secundum accentuum sive Masoretharum testimonium, quod cum contextu optime conciliatur & congruum est cum persona propheticè adumbrata. Elliptica loquendi ratio non prosus obscura est: *Quis excitabit ex oriente* (scilicet eum,) *cujus pedi justitia obviam illi est*; h. e. qui comitem sibi habet ubique justitiam & æquitatem, prout KOPPE, SCHERER, ROSENMULLER bene explicuerunt, & STORR ex syntaxi parallelorum locorum Job. XVIII 21. Ps LXXXI 6. probavit. Neque dubium tantisper remanebit, Cyrum esse illum fortissimum æquisimumque heroem, quem vates Divinus præcinerit venturum ex Oriente; conf. v. 25. Cap. XLV. v. 1.

Vers. 3. Ad ושלום subintelligendum est præfixum כ, *in pace, felici successu, ex εισηγη* (Græc.); vix tamen persuadebunt Critici, e textu illud excidisse. Quod idem in vers. sequ. notandum, contra otiosam crisin LOWTHI, integrum vocabulum הלוא restituentis. Familiaris est ellipsis & ab omnibus interpretibus intellecta.

Vers. 20. ושמעו animadvertant. Gr. εννοηθωσι. simili ellipsis τω לב probatur ex Job. IV: 20. XXXIV: 23. & Latin. *advertere*; adeoque non audiendi, si qui injuriosius textum masorethicum tractantes, corrigere eundem satagant.

Vers. 21. Pro textuali וצוהו *argumenta validissima* *επερωσεις* (Symm. Aquil.), STRUENSE jubet legendum וצוהו *consilia*, quemadmodum Alexandrinus habet; *τας βελους*

sed absque urgente necessitate. Lucidissimus est contextus, quo Deus sistitur provocare omnes idololatrias, ad causam suam agendam & argumenta superstitionis suae spurcissimae proferenda. Ubi causa in iudicio agatur, testes & argumenta requiri, res ipsa docet.

Vers. 24. Vocem  $\text{עֲבַד}$  cum  $\text{וַיָּבֵר}$   $\gamma\eta\sigma$  permutavit Græcus, vocis ipsius difficultate permotus. Est autem sine dubio idem ac  $\text{עֲבַד}$ ,

Vers. 25. Lubenter fatemur, lectionem hujus loci admodum ambiguum difficilemque esse, ut rite constitutatur; siue enim cum MICHAELIS interpunctionem verborum castigando, referamus formam  $\text{מִיכָאֵל}$  ad præcedentem sententiam: *invocat nomen meum & venit*, identitas suboritur & tautologia stilo Jesaiano parum conveniens, posterius vero membrum hiulcum evadit, quum nomen  $\text{מִיכָאֵל}$  non habeat sibi adjunctum verbum; siue cum Coccejo & plerisque, verbum  $\text{בָּרַח}$  sensu *invadendi* sumamus, deest particula  $\text{עַל}$ , & repugnat analogia linguæ, inprimis vero ad imaginem *luti* inepte referretur hoc verbum; siue cum sagacissimo DOEDERL. Hiphilicam substituiamus formam  $\text{מִיכָאֵל}$  sensu *subigendi*, deserit nos iterum analogia vocis in Hebraismo usitatissimæ; siue demum CLERICO & LOWTH, cum SCHERER, pollicem premamus in mutanda lectione ad  $\text{וַיִּבֹּס}$  vel  $\text{וַיִּבֹּס}$  & *conculcabit*, sensus quidem haud incommodus, quin convenientissimus orietur, sed nulla codicum auctoritate nec sufficienti veterum testimonio comprobatus. Græcus cum Chaldæo utrumque vocabulum expressisse videtur: *ἐρχομένων ἀρχοντες, καὶ ὡς πηλὸς κεραμεὺς, καὶ ὡς κεραμεὺς, καταπατῶν τὸν πηλόν, ἔτω καταπατηθήσονται*. Quid ergo in tanta interpretum disensione consultius judicabimus? Sequimur antiquos & MICHAELIS, vexatam formam probabiliter genui-



nuinam & tritissimo suo significato sumendam habentes, spretoque accentuum jugo, urgente autem parallelismo verborum ברא & אהה, ad præcedens membrum referimus; quæ superest difficultas sententiæ: סגנים סמוי חמר *bariosos s. principes sicut lutum*, eam ita tolli putamus, si antiquorum more, in sensu suppleamus, verbum *conculcandi, conterendi*, quod in sequenti imagine de figulo lutum tractante ponitur; nisi malueris cum laudato MICHAELIS verbum substantivum suppressum tenere, cujus ellipteos exempla in Hebraico codice uberrima obveniunt. Optioni itaque relinquimus duplicem explicandi modum: *antistites superstitiosi ei (scilicet Cyro) sunt, reputantur tanquam lutum, & sicut figulus argillam subigit; vel: Subiget antistites superstitiosos sicut lutum, & sicut figulus argillam subigit.* Zertritt die Grossen, wie leim, wie der Töpfer den thon?, SCHERL.

Vers. 28. Difficilior Criticis visa fuit forma מלמל ab *istis*; quare alii Alexandrinum secuti (απο ειδωλων,) lectionem textus migrarunt in מלמל, alii vero, nominatim MICHAELIS, formam participialem conjectarunt esse a verbo מלמל, Hebræis inusitato sed Arabibus familiari (tertia ה attonitum esse; utrumque tamen & lubrico & supervacaneo fundamento, siquidem sensus receptæ lectionis non modo facillimus est, verum etiam ex parallelismo definitus. Vocabula מלמל & מלמל ut quoque מלמל & מלמל) sunt sibi invicem analogæ, quanquam leviter discrepent in sensu. Jehova inducitur quasi *circumspectans* omnium idololatrarum turbam, nemo autem ex iis in ejus conspectum audet prodire, *ex omnibus istis* (superstitiosis quippe) *nullus, quocum* consilia sua communicare ac *consultare possit*. Ratio redditur in sequenti versu: *Omnes sunt vani & stulti, operaque eorum* (idola, Dii ficti-  
tium)

(ii) plane *nihil*. Hinc quoque evidenter apparet, pronomen *הלא* non spectare idola, sed idolorum cultores, quos propheta v. 26. & alias sæpius ludibrio exposuit promerito.

### *Caput XLII.*

Vers. 4. Antequam lectionem textus hujus vers: dijudicemus, sententiam utcumque de ipso subiecto aut persona, quam exhibet vates Divinus, ferre oportet Neque omnino nos fugit, obscurioris esse hoc argumentum indaginis, sagacissimosque propterea interpretes in summa abiisse divortia, jam Cyrum, de quo in præcedenti Carmine egit propheta, jam prophetam ipsum, quia Cap. XLI. 1. 27. sese forte innuerat & Cap. XLIV. 26. tacitis representet indicia, jam populum Judæicum, saniolem puta illius partem, jam denique Messiam vividis depictum coloribus celebrantes. Quamquam vero recentiores fere plerique in Cyri velut accesserint partes & confidentius paulo huic insistant conjecturæ, quasi rei veritas ex nominis celebritate ac interpretationis ingeniosa novitate pendeat tota; antiquiorum tamen tanto minus deferere possumus vestigia, Judæorum imprimis, qui suorum scriptorum, rerumque ad historiam & antiquitates pertinentium fidissimi sine dubio salutandi sunt iudices & interpretes, quo certius sit, universum contextum, imaginumque apparatus omnem non ad alium quendam ducere cogitandum, quam qui ab ipsis Apostolis sit, non modo coram gentilibus, verum etiam Judæorum ingenti confesfu collaudatus. Non omnino ex allegatione Matthæi Cap. XII. v. 17 - 21. hoc tantum inferimus, neque ex Rabbinorum derivamus scholis, sed quum Chaldaeus ipse paraphrastes Messiam expresse nominaverit, quum omnia attributa non possint in alium quendam qua-

qua-